



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Fasti Mariani

Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Lvcianvs M. 7. Iannuarij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

mentitus vultum, quamvis opulentum oppidò conjugium pollicitus. Primum litanti augustissima cæli Regina visenda se cum Angelis obtulit, atque his eum affata est verbis: *Meam servies servitutem, ad hanc à me delectus.* Posthac Præsul nominatus Fesulanus, cum fugâ se honori subduxisset, ab infante tum fante est proditus. Puer, nescio quis, cum sacro fonte tingeretur, Andreas lacrimas frequentes affudit: rogatus causam, respondit, puerum eum familiæ suæ probro, patriæ exitio natum; id quod reapse postea urbs credidit, cum vidit. Cùm annum deinde ageret lxxi. ipso Christi nascentis pervigilio egregius servus à Domina suâ vocatus ad libertatem est. Mortuum virgo sanctitatis famâ percelebris, per scalas vidit cælum conscendere; puto ne ullus Virginis amator dubitet eodem conniti, quando scalas habet. *Ex Surio.*

*In Ecclesiam ingredi, ubi Christus discumbit, tuumq; præstolatur adventum, atque in spiritu humilitatis pedibus provolvere Domini Iesu; confitere scelera, deterge vulnera, reatum accusa, sponde conversionem, pete veniam, ut plenam consequaris indulgentiam.* Laur. Iust. in. sermonib.

## S. LVCIANVS M. 7. Iannuarij.

**P**ossumus hodie ignoscere Samosatæ, quando maximum probum ingenti decore obruit, & LVCIANVM dedit, qui non jam rideret cælum, sed moreretur pro cælo. Duodennis puer poterat tamen pater dici, cum hereditatem paternam jam tunc pauperum prædam fecisset. Mox inter cœnobitas adscriptus, & Sacerdotio initiatus, Antiochiæ



iochiæ ludum literarium aperuit. Minerval pauperibus cessit, libros Christianos restituit, & sacra volumina, quæ dudum superstitio corruerat, ad Hebrææ linguæ regulam censuit. Sed Maximianus non nescius pietatem Christianam non posse rectius quàm cum musarum lacte, literis inquam, instillari, ad pœnas magistrum tam sancti ludi vocat; quod tamen vel vultus majestate meliora persuadere LVCIANVS diceretur, non nisi velatis oculis huic impius Agamemnon locutus est. Promissis primò ingentibus in martyrem pugnavit, tum in cippum iniecit, post in testarum fragmina. Ultimò fame longâ ad deditionem compellere est aggressas. Intereâ sacrificare constituit LVCIANVS. Mirantibus, quò id fieri posset, discipulis, cum aræ mensa abesset, Vos, inquit, in orbem me cingite, & templum eritis; sacra deinde pectori meo imponite; erit hæc viva ara. Dixit, fecit. Mox ad ingressos tortores ter clamat, *Christianus sum*, & subinde mortuus tacet. Funus nihilominus in mare projectum, saxo dexteræ appenso. Verùm truncum primò Delphin, semper hominum, sed martyrum præcipuè amans in litusextulit. Mox dextra etiam (à Musis credo) efferi, brachioque jungi visa est. Nos etiam manum tam doctam pro meritis lauderemus, si ad nos Musæ manus illius stylum attulissent. *Surius.*

*Corpora nostra aptemus in vivam Dei hostiam, ut sit fides vera, pura conscientia, cor mundum, caro casta, sanctus sensus, pius animus, vita sancta, verecundus habitus, & ad omne Christi obsequium humilitas; nostrum semper comitetur incessum.* S. Pet. Chryf. h. 109.

S. RAY.